

Gamelbd.

010

de,

23

DE
**LINGVA LATINA
NON PROMISCVE
DOCENDA
COMMENTATVR**

ET
AD ORATIONES IVVENILES

D. XII. MARTII A. O. R. c^{lo} l^o CCXLII.

AVDIENDAS

HUMANISSIME INVITAT

**M. MICH. HEINRICVS REINHARDVS
LYCEI TORGAV. RECTOR,**

TORGAVIAE
LITERIS PETERSELLIANIS.

du
PREGATORI
NON ROMANEAE
DOCENDA
COMITATUR
et
AD ORATIONES ILLUMINARE
D. HENRICVS AVGVSTVS
AVGVSTVS
HVMERUS ILLUMINARE
II. HIC HEINRICVS RUMINARE
LACCI TOTCM RECTOR

YOLANDVS
TITANIS PHTHERISTI VANI



Shoe literarum latinarum utilitatem, quæ omnem eruditionis ambitum complectitur, siue necessitatem, quæ tanta est, vt sine latinitate viri docti nomen vix audeamus nobis assumere, siue denique earum suavitatem & dulcedinem summam consideremus, qua facile animum discendi cupidum allicit & in studio discendi continet: non possumus non fatari, tantam latine linguae esse præstantiam, vt non solum cum omnibus linguis de principatu possit contendere, sed etiam iuuentuti omni modo sit laudanda & commendanda. Etsi autem, hæc ita esse, & pulcre scio, & libenter soleo deprædicare: tamen doleo omnino vicem bonorum puerorum, qui nunquam latinitatis ullum sentiunt fructum, & tamen, ad eius elementa discenda, licet frustra, omni terrorum genere adiunguntur & compelluntur. Qui latinitatis furor quantum dederit & adhuc pariat damni, & in republica, & in scientiis, incredibile dictu est. Liceat igitur mihi iam confiteri, quod amor erga pueros innocentes atque commiseratio suadet imo iubet, dolor autem acerbissimus, quem ex eorum non minus quam præceptorum calamitate percipio, exprimit atque extorquet. Parum profici nostris scholis plerisque, infinitis doctorum laboribus atque sudoribus & tot impensis, quas in his alendis iam per tot secula facit respublica, pri dem intellexi, pridem dolui, iamque palam profiteor. Cuius quidem rei sane aut unica, aut saltem præcipua, causa est peruersum latine lingue studium, quod in quaecunque puerorum ingenia tyrannidem iam diu exercet. Primum, quænam est illa insania, quæ persuasit hominibus, linguam eruditorum propriam omnes pueros oppidanos esse docendam, nullo discrimine ingeniorum habito vel delectu? Si

filium tradas opifici ad opificium eius discendum, nonne vides, eum
 a magistro studiose explorari & examinari, an eidem exercendo sit
 aptus atque idoneus? Nonne igitur praeceptores in scholis oppida-
 nis sunt multo infeliores, quam infimi generis opifices, dum iu-
 bentur omnes promiscue docere linguam, licet huius cognoscendae
 neque facultas, neque voluntas vlla in iis adsit. Proh Deum im-
 mortalem! quanta non est ista doctorum miseria, eos docentium, qui
 vel non possunt discere latine vel omnino scire nolunt! Inde fit, vt
 odio habeant & scholam & doctorem, vt non nisi inuiti ad eum ac-
 cedant atque fere verberum metu, vt sint pigri, vt quasi habeant ali-
 quam pigritiae disciplinam, in qua possint proficere. Ita enim
 pueri plerique a parentibus suis edocentur, vt palam profiteantur,
 idque non raro patris iussu, se nolle cogi ad eam linguam, quæ nihil
 sit profutura. Non raro videoas, illos suam vicem dolere, quod non
 potius scemine quam mares sint nati, cum illas saltim carere sen-
 tiant latinitatis metu; sèpius optare, vt potius in agro, quem pere-
 grinam illam linguam nondum inuasiſſe sciunt, nati sint quam in oppi-
 dis, si omnino mares nasci oportuisset. Sed ferendum esset, linguam il-
 lam esse patientiae puerilis disciplinam & exercitationem, modo non
 illud mali maximi inde proueniret, quod tolerandum est nullo mo-
 do. Quia enim præcepta religionis arque virtutis cum eadem lin-
 gua coniungi solent, fit, vt ab odio linguae participet & religio & vir-
 tutis studium, arque, dum doctores oderunt latinos, eorum odio
 confuscent institutionem omnem, etiam eam, quæ ad religionis do-
 strinam & mores formandos pertinet. Quod quidem puerorum
 odium in romanam linguam non iniustum aut iniquum plane esse,
 facile iudicabis, videns, aut pueritiam oppidanam ex scholis transire ad
 opificia, quibus latina vocabula nullo sunt vsu, aut certe tempus, quod
 peregrinis vocibus impenditur, aut potius perditur, melius posse
 collocari ad hauriendam doctrinam sanctiorem atque virtutem.
 Ecquid genus humanum prestantius habet virtute, aut quidnam est
 magis necessarium, quam ratio diuinitus præscripta & tranquille vi-
 tam præsentem transfigendi, & felicitatem consequendi æternam?
 Quale vero illud tandem est sacrilegium, quod tempus, quod pietati,
 quod Deo, quod iustitiae debebatur, occupatur atque profunditur

vocu-

voculis peregrinis, quibus puerorum memoria potius oneratur & obruitur, quam augetur & amplificatur? Et quandoquidem ea, quae pueri didicimus, & sancte retinemus & sequi solemus in omni vita instituto totoque vivendi genere: sane nullius aetatis tempus religiosus est habendum & tractandum, quam pueritiae, que non nisi optima & maxime necessaria & utilissima quaque docenda est, si in aetate crescente debet casta, pia & honestatis studiosa reperiri. Atque hoc tempus tam pretiosum tu quasi furto subtrahes religioni & consumes rebus inutilibus & ad eas coges pueros invitos & reclamantes? Neque tamen dominum illud est tantum puerorum proprium, qui literas discere nolunt, sed, quod peius est, etiam ad eos redundat, qui & sunt apti ad humanitatis studia tractanda & iis dedere se libenter vellent, modo ita proficere possent, ut sui consilii ne paeniteret. Verum enim vero dum vel inertia vel ignavia commilitorum, literas aspernantium, occupat doctoris diligentiam & fatigat, nonne sit proh dolor! vt discipulorum bonorum quoque ardor discendi retardetur, impediatur & tandem sensim resideat & extinguitur? Dum omnes instituantur ad humanitatem & docentur, nihil doceatur; atque dum a pluribus velimus eam disci, discitur a paucioribus, quam quidem factum esset, nisi importuna institutio fuisset impedimento. Tantum mali litteris affert, & oppidanæ pueritiae societas atque consortium commilitorum, vel ineptorum vel pigrorum, licet cum summo horum ipsorum dolore arque macore. Hæc quidem est ea maiorum series, que miseris latinæ lingue discipulos misere vexant atque conficiunt, si sine iudicio arque delectu ad eandem compelluntur & protruduntur. Sed quid dicam de doctoribus, quorum miseria deplorari satis nequit, quibus res est cum tali grege, obstinato ad nihil discendum latine? Nihil dicam de laboribus, sine ullo fructu in plurimis multiplicatis, qui, in paucis iisque aptis atque volentibus utilius fructuofiusque poterant adhiberi. Omitto tædia infinita atque fastidia, quæ necessario coniuncta sunt cum eorum institutione, qui discunt iniuti & repugnante vel natura vel voluntate. Illud saltem velim perpendi, quod alacritas imo hilarietas docendi, sine qua doctor omnis nihil est, atque omnis docendi ardor illis tædiis sensimque reprimatur atque auferatur.

A 3

Quibus

Quibus auribus, qua mente, quo animo illos audire putas discipulorum querelas atque gemitus aut spectare lacrimas, dolores, verbera, cum sentiunt se nihil proficere? anne tu credis eorum diligentiam accendi? cum vident, omnem industriam suam atque diligentiam ne quidem posse aliquid proficere in tot tantisque difficultatibus atque impedimentis, aut, si quid omnino proficiat, profectum tamen in sartoribus & futoribus nullum fore vsum atque frustum. An tu existimas, his praemissis, hac spe desperata ipsorum spem atque docendi cupiditatem posse ali, sustentari, aut vello modo inflammari. Non de me loquor, quem diuina prouidentia ad miseras illas nunquam proiecit, mihiique semper cum iis rem fuisse letor, qui & voluntatem discendi saltem professi sunt & in romanæ linguae studio fuere iam confirmati, sed illorum præceptorum sortem atque conditionem deploro, qui mixto aut potius confuso eiusmodi gregi præsunt aptorum & ineptorum, volentium & nolentium proficere. Et, cum plane deplorabilis eorum sit fortuna, tamen contemnuntur, accusantur omnibusque plebis proscinduntur conuictis, si fortasse de sua diligentia remittere aut ipsi officii sui interdum immemores reperiuntur. Trade illis discipulos, qui possunt, quique volunt proficere & tunc demum fac periculum, quale sit illorum studium, qualis industria. Turpe dictu est, Christianorum infantiam & pueritiam longe peius & erudiri & educari, quam vel Persarum vel Græcorum vel Romanorum ipsorum, quorum lingua nostræ Germaniæ adeo molesta & onerosa est. Persæ quidem fatis habebant, filios traducere inde a primis annis ad iustitiam, ad virtutem & ad belli studia. Atheniensibus in more positum fuit, id dare operam, vt sui in poëtarum carminibus mature disserent præcepta morum & canere Deorum laudes, corpusque exercere in gymnaſiis. Eequid autem laudabilius est aut præstantius Romanorum consuetudine, qui voluere, vt pueri disserent leges duodecim tabularum? Quid vero nostri Christiani? quot cives sunt, qui patriæ leges vel pueri didicerunt vel norunt senes? Nonne plerique vel paucissima præcepta didicerunt pietatis, aut potius sine omni studio & sollicitudine mores suos ad ea conformandi? Etsi autem religionis doctrinam, nondum ita neglectam esse cernimus, vt plane in scholis nostris

nostris prætermittatur: tamen vix tantum temporis eidem cernimus
relinqui, quantum in utili latinæ lingue studio perperam colloca-
tur? Nonne tot horarum, in religionis institutione melius locanda-
rum, etiam ratio aliquando reddenda erit die extremo iudici vni-
uersitatis Christo? Nonne ipsa res publica infinita peruersæ huius
institutionis sentit mala? Vnde nanciscitur tot ciues stupidos, nisi
quoniam potius memoria, quam ingenium aut iudicandi facultas,
puerorum vetustæ illius linguae studio excolitur & exercetur? Vnde
tot immorigeros aut improbos? nisi exinde proueniant, quod pueri
potius vocabula latina quam iustitiae præcepta hausere memoræque
impresere. Cae existimes, literis & humanitatis studiis melius his
rebus consuli, dum apti inepti, volentes & noientes ad illa sacra
propelluntur. In tanto numero infantum latine balbutientium, tamen
multo pauciores viros doctos inuenies & hos ipsos minus doctos, quam
fuerint, si statim a tenera aetate, qui sunt idonei atque cupidi litera-
rum, a reliquo secernerentur grege. Quoniam autem illis ipsis com-
militonum inertia aut ignavia mora est & impedimento: nonne pa-
lam est, illos maiores in literis facere posse profectus, si importuna
illa careant societate atque coniunctione? Nonne etiam existimas,
multis literarum studia fieri taediosa & fastidiosa, vt ab iisdem abster-
reantur quia participes redduntur taediorum, cum quibus discipuli in-
epti discunt, doctores hos ipsos docent? Ingens est taedium, adesse
taedio aliorum. Plures sane discent literas, si nanciscerentur com-
militones cupidos discendi & simul doctores, quorum studium & ar-
dor docendi nondum refriguit discentium torpore. Quæ quidem
omnia ira sunt comparata, vt neque multitudinem & copiam neque
præstantiam virorum doctorum ab illo coacto numero puerorum
latinorum in Germania iuuari iudicemus. Cum vero tam multa
tamque magna sint damna, quæ a latinæ linguae studio perperam
tractato veniant: eo infeliciar præceptorum est conditio, quibus ne
quidem licet ab hoc peruerso recedere more, cum satis sciant legi-
bus scholasticis & autoritate publica sibi iniunctum esse, vt vnum
quemque ad huius linguae elementa admittant discipulum. Id quod
eo maiori admiratione dignum est, quo diuinus consuetudo illa, pri-
dem antiquanda, in scholis durauit. Evidem existimo maiores
nostros

nostros sapientes habuisse causas, propter quas eruditæ linguae do-
 ctrinam iuberent in oppidis communem esse omnium. Sed vero
 aliud prius, aliud nostrum seculum postulauit. Cum scholis oppi-
 danis ferrentur leges, & literarum ludi erant rari, & homines pla-
 ne flagrabant cupiditate linguam discendi latinam. Sane paucitas
 scholarum effecit, vt cum pietatis & virtutis doctrina necessaria
 coniungenda esset linguarum literarumque institutio. Nunc vero,
 cum abundemus scholarum multitudine & earum mole fere labo-
 remus, non video, quare, quod necessitas ante ius sit, iam, hac sub-
 lata, non mutet utilitas, atque a iuuentute literarum studioſa non
 solicite segregentur pueri, qui, literis neglegētis, contenti & sunt & esse
 possunt pietatis & virtutis præceptis? Non solum autem in illa
 scholarum doctorumque paucitate fuit necessarium, & linguarum &
 virtutis studium in omnibus discipulis coniungere, vt vtrumque
 posset teneri, sed etiam, in ista, qua tunc fuit, lingua latīna cupiditi-
 tate hominum, hæc coniunctio & facilis fuit & percommoda.
 Quoniam enim eo tempore latīnae linguae cognitio eruditioſis fere
 in ſe continebat gloriam: ii quoque pueri, quibus non propositum
 erat literarum studium, tamen ante decimum quintum annum etatis
 non facile deferebant ſcholas. Itaque tempus ſuppetebat doctori-
 bus toto illo tempore ita confirmandi ſuos in latīna linguae cogni-
 tione, vt huius ſcriptores & legere & intelligere & ab iis optima
 vita præcepta accipere & haurire poſſent. Ex quo autem homines
 intellexere, ſufficere fortunæ future artem ſcribarum, morumque
 qualemcunque elegantiam, quod plerorumque parentum ſuadet
 paupertas, faciunt libenter, vt, quam primum litteras didicere pin-
 gere, a præceptoribus recedant, neque in ſanctioris doctrinæ, neque
 in morum præceptis ſatis confirmati. Cum itaque tempus ſchola-
 stice etatis arctioribus terminis videas eſſe circumscriptum, quam
 antehac: quare non etiam mutabis doctrinæ rationem atque potius
 neceſſaria pueritiam illam, literarum contemtricem, docebis, quam in-
 utilia, & quæ certissimæ cito dabuntur obliuionis? Quare pueros
 illos festinantes & præcipitantes ſuam institutionem non potius de
 eruditione, de virtute, de moribus erudes, quam de vocularum
 flexione & inclinatione plane inutili, imo, quoniam magis neceſſaria
 impe.


impedit, pernicioſa? Deinde illud quoque conſitendum eſt, fuisse
& eſſe adhuc ſcholarum magiſtriſ aliquos tam abſurdos, vt, quo-
niā omnem eruditioñis gloriā in latīna lingua poſitam eſſe arbi-
trantur, vana oſtentatione ab oſſicio abduſti, latinitatis ſarpe doctri-
nam proſiteantur, cum tamen vocati potius ſint ad religionis & ad
virtutis iſtitutionem. Videas illos paſſim peccare in oppidiſ minori-
bus, in quibus neque doctořum copia ſufficit humanitiſ ſtudiis do-
cendi, neque puerorū numerus & opes doctořum cupiditati.
Sed hi tamen haberent, in quo ſe iactarent gloriāque quærerent
ſermoniſ latini, modo eos, quos latinitatis docere volunt elementa,
a reliquo fecerent & ſepararent cœtu, cui pietatiſ probitatiſque
diſciplina tantum eſt neceſſaria, peregrina lingua omni plane ne-
glecta. Cum vero partim ſtolidi magiſtrorum iactantia, partim
temporū rationes immutatae, in cauſa ſint, vt omnino romanæ
linguæ doceñda ſtudium videamus eſſe quodammodo mitigandum:
facile appetit, quid conſilii capiendum ſit, vt & bonis literis & rei-
publicæ melius consulamus. Mihi quidem maximopere ſe com-
probauit iſtitutum illud, quod proximiſ his annis, regiſ Danieſ auto-
ritate iuuiſque induſti, ſecuti ſunt Altonauienſes. Cum enim intelli-
gerent, quantum damni pareret linguaſ latine reliquæque doctri-
na confuſio: iudiciſ ſuſ tres partes fecerunt, ita, vt in harum prima & lite-
rarum germanicarum elementa non minus quam latinarum legere
atque pingere itemque subducere rationes & ea, quaē ad incrementum
pieratis atque virtutis facere videntur, addiſcerent diſcipuli; altera eos
completeretur, qui longius progrediuntur atque latinitatis principio-
rum ſunt ſtudioſi, licet literis ſe dedere recuſent: ultima denique
iuuenes literarum plane cupidoſ tantum comprehendereſ. + Primus
ordo eſt futuroř opificum aut agricolarum; alter artificum, ſcri-
barum & eius generiſ hominum, quorum opera omnis vel in ſcri-
bendo, vel in rationib⁹ faciendi continetur: tertius autem locus
eſt eruditioñis proprius. Et hoſ ordines diſtinguunt vocabulis, vt
primum nomine ſcholaē proprio, alterum ſeminarii, ultimum deni-
que gymnaſi vocabulo appellent. Quibus quidem ordinib⁹ tri-
bus, ſi res locuſque ita ferat, addi poſte quartum exiſtimem, in quo
eorum formanda ſint ingenia, qui vel in ſcholiſ vel in academiis.

docendi munus aliquando suscipere exoptant; vel ita in literarum studiis proficere, vt in iis quoque libros componere arque conficerre cogent. Cum enim latine scire vnicuique viro docto sit necessarium: scribendi tamen latine facultas paucorum est & eorum fere, quos postremo ordine a reliquis iudicauimus segregandos esse. Atque, nisi me fallunt omnia, hoc institutum maxime sectari videtur ii, qui reliquis ludi literarii ordinibus adiunctum atque praesumitum voluerunt ordinem eorum aliquem selectum, de quorum profectibus spes esset maxima. Sane Gothæ alibi que hoc consilium non caruisse suo fructu comperimus. Neque haec discipulorum diuisio atque separatio in oppidis maioribus & vrbibus foret difficultis, vbi & magistrorum supperit copia, in primis, si cum oppidanis coniungantur suburbanii, & doctorum delectus est facilis. Enimuero, linguae institutione ablata, opus est, vt tempus, quod eidem antea fuerat destinatum, utiliter collocetur vel in religionis praecipitis latius explicandis, vel in teneris mentibus assuefaciendis virtuti, vel in ipsis acuendis ingenii. Ut enim iam nihil dicam de religione, hem! quanta foret utilitatis, si non solum æqui & iusti leges pueris proponantur, sed etiam iudicandi facultas eorum modo similitudinibus, modo exemplis, modo questionibus variis exercetur, vt ipsi in unoquoque exemplo, quid sit iustum, quid iniustum, quid sibi sequendum, quid fugiendum, quid turpe quid honestum, & iudicarent & in rebus dubiis disceptarent inter se atque certarent. Cui iustitia disciplina si adiungeretur rudis aliqua leuiorque notitia historiæ, geographiæ, astronomiæ, artis mechanica, herbarum, insectorum, aliarumque huius generis rerum, qua vel decent homines curiosos, vel ad numinis diuini maiestatem agnoscendam mentem exacundam faciunt: tum vero quis facile neger, tempus illud, quod inutiliter linguae consumitur institutione, melius locari & insimæ quoque plebis mentem ita formari, vt earum rerum, qua in prima aetate didicir, virilitas sit in omni deinde vita maxima. Ita quidem pueri iam in scholis præparentur, vt aliquando res publica homines virtutis amantiores, ciues obedientiores, Christianos meliores nanciscerentur. Ne literæ quidem facerent iacturam, si pauciores quidem ad latinam linguam animum applicarent,

carent, sed plures in eadem, & hi ipsi magis, proficerent, quando nulla ab ineribus aut ignavis sociis obstante impedimenta. Quam facilis foret doctorum labor, si & discipulos consequantur similes, neque inutiliter aut frustra se docere sciant? Quanta alacritas docendi, quantum studium, quantus ardor, si suos quotidie magis intelligent proficere operaeque sua dulcissimum sentiant fructum! Tales doctores an tu facile credas fore sui officii negligentes aut immemores? Quid? cum ipsorum doctorum, separatis discipulorum studiis, discrimen commodius meliorque delectus haberi possit, an magistrorum idoneorum institutionem & disciplinam minus putas prodesse, quam eorum, qui, dum omnia simul profitentur, in nullo multum proficiunt? Sed o felices pueros, qui & libenter disserent & cupide, quia virilia & suis ingenii apra & accommodata se discere opinarentur! Quanto verberum penarumque metu per se infestissimo liberarentur? Quanto melius proficerent in moribus, in virtute, in pietate, quo minus curarent vocabula latina, quo minus haec ipsa omnem institutionem redderent aut inuidiosam aut saltem ipsis suspectam? Et ut omnia complectar verbo, melius & cum discipulis & cum doctoribus & cum omni scholastica ratione, imo cum tota republica ipsisque literis ageretur, si latina lingua non nisi aptis iisque volentibus traduceretur discipulis.

Sed hec haec tamen libenter submittit viro-
rum & prudentiorum, & ab ingenio atque doctrina non minus
quam docendi peritia melius instructorum, iudicio atque sententiae.
Mihī in præsentiarum satis est aditum more consueto mihi parasse
ad Patronorum Fautorumque scholæ nostræ benevolentiam implorandum.
Cum enim aliquot iuuenes, quod felix faustumque sit,
literarum iactis fundamentis, ex Lyceo nostro abiare secum consti-
tuere, atque, profectum suorum speciminibus editis, Musis nostris
valedicere: non possum non ipsorum locum dare petitioni tam ho-
nestæ & auditores humanissimos peramanter inuitare. Erunt igitur
oratores iuuenes

Joannes Georgius Pfeifferus, Strehlensis, oratione Latina habita
de doctoribus in Academia eligendis, valedicturus nobis car-
mine Germanico,



Joannes Gottlieb Jüngelius, Torgauiensis, qui verba faciet Latinæ de amicis Academicis eligendis,

Carolus Friedericus Christianus Fritzschus, Torgauensis, qui, postquam dixerit de vituperatione vitæ scholasticæ māle locatæ, carmine Germanico vale patriæ scholæ dicet. Post quem dicent Latinæ,

Jacobus Heinricus Reinholdus, Torgauensis, de adiumentis vitæ scholasticæ bene locandæ, atque

Joannes Christianus Riedelius, Vitebergensis, de laude vitæ scholasticæ bene collocatæ, definens carmine Germanico.


Quibus quidem amicis hinc discessuris abitum gratulabitur Germanice

Heinricus Gottlob Hentschius, Strehlensis, dicendi occasionem a iucunda memoria scholasticæ amicitiae desumens.

Hos quidem ut Tutores atque Fautores Lycei nostri pro sua in nos constanti benignitate cras, hora nona matutina, sacrificis publicis finitis, audire ne dedignantur, hinc perofficiose, hinc amicē

rogo. Dedi d. XI. Martii A. O. R.

○ ○ I C C XXXII.



AB:155056

VD 18

ULB Halle
003 085 112

3



TA → SL
nur 75 Blatt /

VDT7

R

LINGV
NON I
DO
COMI

AD ORATI
D. XII. MART

HVM
M. MICH. HEI
LYCEI

LITERIS

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

